

37

CONTROVERSIAS
DE
EXANTHEMATVM
ACVTORVM
ORTV
NVPER MOTAS

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

MED. ET PHILOS. DOCT. MED. THEOR. ANAT. BOTAN. ET PHARMAC.

PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECT.

MOG. ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIET.

DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,

ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. APRILIS, C^ICCCLXIX.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM
LEGITIME CAPESSVRVS

EXPENDIT

A V C T O R

IACOBVS HENRICVS PITSC^H,

SAGANO - SILESIUS.



FRANCOEVRTI ad VIADRVM
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

V I R O
MAXIME REVERENDO
AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
M. GEORGIO CASPARO
PITSCHIO
ECCLESiarVM ET SCHOLARVM A. C. A.
IN DVCATV SAGANENSI
INSPECTORI REGIO
ET
ECCLESIAE, QAE SAGANI EST, A. C. A.
PASTORI
FIDELISSIMO MERITISSIMOQVE

PATRVELI

PIE REVERENTERQVE COLEND0,

A 2

ET

ET

VIRO
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMOQUE
D. IOANNI SAMVELI
PITSCHIO,
SERENISSIMI PRINCIPIS DE LOBKOWITZ
ET DVCIS SAGANENSIS MEDICO
AVLICO,
COLLEGII MEDICI GLOGOVIENSIS ADIVNCTO
NEC NON
DVCATVS ET CIVITATIS SAGANENSIS
PHYSICO,
PARENTI OPTIMO
OMNIQVE HONORIS AC PIETATIS CVLTV
AETERNV M VENERANDO,
BINIS
PATRIBVS SVIS FIDELISSIMIS,
OB INFINITA IN SE COLLATA
BENEFICIA
OPVSCVLVM HOC ACADEMICVM
TANQVAM
PIETATIS REVERENTIAEQVE TESSERAM

OFFERT


FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS.

PRO-



PROOEMIVM.

Cum de multis adhuc rebus summa medicorum diffensione certetur, tum perdifficilis omnino et nequaquam satis expedita est quaestio de natura plerorumque exanthematum acutorum: quae tamen ad exactam plurium morborum cognitionem valde est proficia, et ad moderandam medendi methodum summe necessaria. Nostra in primis aetate miliares pustulae et petechiae, utrumque singulare exanthematum genus, tantis tamque subtilibus disceptatae sunt controversiis, ut dissentientium molestum sit dinumerare numerum. Quod vero diffensionis summam continet, hoc est, ut diudicetur definiaturque quaestio, utrum dicta exanthematum genera naturae, an artis, sint opus, an,




habita diuersorum aegrotantium ratione, interdum
vtriusque. Ego vero, cum mecum habitem, et no-
rim, quam captiosum sit hoc quaestionum genus,
tironisque iudicio maius, idem hoc nunquam in me
recepissem expendendum, nisi et **OPTIMI PAREN-**
TIS voluntas, et meritissimi de me **PRAESIDIS** be-
nigna subleuatio intercessisset. Ille enim, vt spinosam
hanc materiem, quoad eius optime possem, tractan-
dam susciparem, serio voluit: hic vero exquisitarum
obseruationum exempla liberaliter contulit, consiliis-
que, vbi haesitabam, adiuvuit. Ad haec potiora,
quae nuper huius rei caufsa lucem viderunt, scripta,
suo loco commemoranda, summa animi attentione
legi relegique, vt de argumentis in utramque partem
disputatis satis mihi constaret. Atque hinc omnino
perspicue intellexi, illustris **GAVBII** de criticis die-
bus effatum, de miliari et petechiali exanthemate di-
sputantibus maxime quoque esse oportere commen-
datum. Hic enim: *dum lis, dicit in fine institutionum
pathologicarum, sub iudice est, iubet profecto rei dignitas
veros quoscunq; artis magistros, iuntis viribus, eo commiti,
vt semotis tantisper rationum argutias, exquisitarum obser-
uationum exemplorumque pondere solide tandem
dirimatur.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM
OBSERVATIONES ALIQVOT MEDICAS
COMPLECTENS.

§. I.


Cum autem nulla res, vt diligenter omnia persequamur, ad veri inuestigationem prae reliquis maiorem vim habeat, quam sufficiens exemplorum, sincera fide, attentione dili- genti, tempestiu[m] occasione, et sine omni partium studio collectorum, copia; hoc in differendi initio instituemus, vt varias exanthematum miliarium petechialiumque hi- storias selectas, quas nobiscum Praeses communicavit, pre- mittamus, habituri dein rationem eorum, quae ad salutaris disciplinae vera naturaeque conuenientia praecepta exinde circumspeta aestimatione ratiocinioque subacto conficiun- tur. Ceterum intererit forte lectorum quorundam nosse, haec ipsa in diversa coeli regione diversoque terrarum tractu a Praefide nostro esse obseruata; Halae nimirum Magdeburgicae, Helimstadii, et hic Traiecti ad Viadrum, et in iis, quae confinia sunt, locis: quorum omnium magna æ- ris, aquarum, viuendique generis deprehenditur diversi- tas. Neque hoc silentio praetereundum est, quod nemini medicinam facienti esse potest ignotum, morborum pro- uentus euentusque saepe numero ipso medendi methodi dirigi more, qui in his illisue regionibus inter medicos in- ualuit. *Halæ*, quo in loco organica, vt dicitur, theoria caput primum extulit et a diuersis magni nominis viris cul- ta est.



ta est atque propagata, et ipsis summi aduersarii, illustris HOFFMANNI, medici maxime mechanici, contradicitionibus stabilita, inter medicos, artem suam ibidem exercentes, admodum diuersa deprehenditur medendi ratio, pro eo ut quisque in STAHLII aut HOFFMANNI aliorumque mechanicorum partes est propensus. Sed negari non potest, nuperrimis temporibus ibidem adeo exoleuisse partium studium, vt vix STAHLII HOFFMANNI ue audiat nomen. *Helimstadium* semper illustrarunt viri mechanica medicina admodum celebres, MEIBOMII, HEISTERIVS, GERICKE, KRVEGERVS, aliisque; vt qui nunc academiam hanc mechanica doctrinam illustrem faciunt, omittamus. Haec autem *viadrina academia*, licet celeberrimus GOELICKE organicam doctrinam quondam intulerit, reliquorum summorum medicorum mechanicorum scriptis factisque semper ab omni partium studio satis est vindicata.

§. II.

Differendi autem principium ponemus in exemplo aegroti cuiusdam, qui nuperrime admodum ex miliari febre conualuit. Iuuenis quidam, viginti annos natus, Regiomontanus Borussus, operi pistorio additus, d. XVI. Martii huius anni iter Berolino Francosurtum nostrum pedibus ingreditur. Sequenti die circa vesperam leui corripitur febricula, noctemque agit insomnem: mane ceteroquin ita lassus debilisque, vt ne pedibus quidem consistere possit. Itineris igitur comites ipsum in currum vedearium deferunt, et huc aduehendum curant. Media nocte



9

nocte satis ventosa atque pluvia adueniens, commodi loci
opportunitate exclusus, defertur in cubiculum, ob mi-
nus integras firmasque fores atque fenestras liberius ca-
piens perflatus, et fornace carens, ibique solus re-
linquitur, comitibus suum iter continuantibus. Die XX.
Martii prima nocte augetur febris sub novo impetu, ae-
grotusque per noctem leuiter delirat. Ab amicis inops,
omnibusque rebus egens, in strato, cui pallium inieustum
erat, collocatus, vix, quo tegatur, habet cilicum, equo-
rum alias dorsuale (*Friesdeke*). Praeter aquam puram
frigidam non aliis erat potus: ex apposita enim fistula,
quandocunque vellet, hausit leuavitque intensam fitim.
Ciborum interim adsumsit nihil. Die XXIII. Martii ver-
sus vesperam vehementissime ingrauescit febris, adeo vt
sub ardentissimo aestu cutis effet siccissima, linguam color
ex atro rubens obduceret, vrinae emitteretur parum, ae-
grotusque maxime insaniret. Sequenti nocte atque die,
vt obseruauit mulier, cui nunc ab aegroti popularibus hic de-
gentibus cura ipsius demandata erat, summa fuit inquietu-
do, anxia et anhelosa respiratio, et continua agrypnia.
Singula haec symptomata persistenterunt ad XXVIII. diem
Martii, eodem fere gradu; sed circa nonam circiter ho-
ram facta est leuior quedam remissio, satisque bene vale-
re sibi aliisque visus est aegrotus, nisi quod adhuc virium
magna defactio animaduerteretur, cibique appetentia de-
cesset. Hoc quoque die alius est semel soluta, per plures
iam dies adstricta. Verum enim vero circa vesperam su-
bito recruduit febris, omnibus prioribus symptomatibus
stipata: vt tunc demum ipsius vitam in discrimine versari

B

exi-



existimantes aegroti cives medicum aduocandum curarent. Die ergo XXIX. Martii, mane octaua hora arcetit Praeses ad aegrotum: qui, quae nunc retuli, ex adstantibus quaerendo comperit, sequentia ipse obseruavit. Aeger mente prorsus non constabat, in strato suo hinc inde se iactitabat, semperque in erectum sicutum nitiebatur, summe anxius et inquietus, si, quin se erigeret, impeditur. Cutis erat constricta et sicca; lingua squalida et albicans; facies pallida. Arteriarum pulsus deprehendebatur debilis, ceteroqui celer et frequens, adeo ut intra horae minutum ostogies quinques micaret. Lotii conditio examinari tunc non potuit, quoniam post emissionem statim ex matula effusum erat. Ceterum ea nocte bis tantummodo sub aliquali delirii remissione parcissimam vrinae copiam excreuerat; reliquo tempore stratum suum perminxerat aeger. Tum quoque parum erat stitulosus, et saepe numero oblatam aquam respuebat: cum tamen media nocte praeterita siti paene esset perustus. Ut vero in hoc aegroto, qui sine omni medicina, sine omni regimine calido, sola aqua pura vsus, iam duodecimum malignae febris contigerat diem, experiretur optimus Praeses, quid sola corporis natura, fibime permissa, nullisque efficacibus medici moliminibus turbata, sua sponte sit effectura, aquam potui destinatam solo rubi idaei syrupo parum temperauit, et decoctum corticis Peruiani eleati, ex huius vinciis duabus cum simplicis aquae libris duabus confestum, praescripsit, singulisque binis horis duas vncias adsumi iusfit. Vesperi omnium symptomatum incrementum deprehendebatur, et octaua circiter hora arteriarum pulsus vnde denona-

denonagies in minuto horae fiebat. Lotium, forte, licet
 aegre, in deliro collectum, crudum erat, tenue, aquosum.
 Nox summe inquieta. Die infecuto omnia paene eadem,
 nisi quod versus vesperam arteriarum iectus, eodem, quem
 diximus, numero fere se continens, saepenumero tremu-
 lis obseruaretur. Vrina neque colligi, neque adeo in-
 spici potuit. Cutis siccissima et velut exusta. Post me-
 diam noctem levius delirare coepit aeger. Pridie Calen-
 darum Aprilis, decimo quarto morbi die, septima hora
 matutina, accedens medicus nonnihil remissa vidit sympto-
 mata, et in emollescente cute, non tamen madida, pree-
 fertim in pectori, copiosissimae pustulae pellucidae milia-
 res in conspectum prodibant. Collectum primo diluculo
 lotium crudum tamen adhuc et aquae instar erat. Arte-
 riae quoque idem intra minutum octogies septies octiesue
 micabant. Hora post meridiem quarta alius sua sponte est
 soluta, sextaque lenissimus mador obduxit cutem, innu-
 merabilibus miliaribus nunc vbiique fere conspersam. Lo-
 tium inter ea nullum est missum, praeter illud, cum aliis
 leuaretur. Arteriarum pulsatio eadem, quae mane erat
 obseruata. Nox prioribus multum quietior, et summo
 mane aeger perfecte fere sibi constans et per interualla tan-
 tummodo leuissime delirans. Hoc die, Calendis nimi-
 rum Aprilis, nona ante meridiem hora, magna sympto-
 matum erat remissio: leuis febricula, pulsus arteriarum
 mollis, aequalis, temperate celer et frequens, septuagies
 sexies in minuta horae particula micans, cutis leniter ma-
 dida, sine effuso sudore, lotii tamen natura adhuc cruda
 tenuisque. Exanthemata elatiora, ampliora, multo sero

B 2

flaue-



flauescente turgida. Nona hora vespertina pulsus adhuc remissior, sexaginta sex ictus in minuto non excedens. Aeger, ceteroquin sanae prorsus mentis, de summa solum quererabatur imbecillitate virium, parumque sudabat. In collecto ad septimam horam lotio nubecula inceptam ostendebat crisi. Insequens dies iisdem conspicuus erat symptomatibus, neque perfectior in vrina crisis. Tertio Aprilis die quinquaginta tantum et nouem in minuto arteriarum pulsationes, sed vrina turbida post horam mucosum depositus sedimentum. Exanthemata interim siccari coeperunt. Sic tandem reliquis diebus rediit sensim valetudo, praeter dictum chiaeae corticis decoctum nullo alio remedio subleuata. Septimo Aprilis datum demum est infusum rhabarbari ex liquore, qui dicitur, digestiuo Boerhaavianoo.

§. III.


Alterum eiusdem fere generis exemplum priori statim subiungemus. Academiae huius viator (*Ausrichter*), postquam per aliquot dies, mense Februario huius anni, tempestate pluviosa, in alnetis palustribus caedorum lignorum curam habuerat, redux domum, multo sudore multaque pluia madidus, eodem die, d. XII. Februarii, vesperi leui horrore corripitur, cui longe intensior succedit aestus, tota nocte somnum aegroto eripiens, nisi quod sub dilaculum matutinum nonnihil somni, sed admodum tumultuosum, superueniret. Altero die tertioque remisit quidem antemeridiano tempore febris adeo, ut si bimet ipse bene valere videretur aeger, sed vespertinis ho-

ris

ris semper recruduit febris, noctemque, ut primo die, insomnem reddidit atque aestuofam. Verum enim vero d. XV. eiusdem mensis, ineunte nimirum quarto morbi die, sub vesperam subito ita exacerbata est febris, ut et leuiter deliraret aeger, et siccissimo aestu fere consumeretur. Accesserunt mane d. XVI. Februarii maximae respirandi difficultates, spasticaeque cardialgiae, ut, nisi erexitus, interclusum iri spiritum aeger arbitraretur. In hoc vitae sanitatisque discrimine Praesidis nostri open demum efflagitat aegroti vxor. Qui accedens intensissimam deprehendit febrem, cum summa virium imbecillitate coniunctam. Arteriarum in pulsando maxima erat frequentia celeritasque, sed impulsus ipse admodum parvus. Colle&stum ex praeterita nocte lotium erat crudum aquosumque: alius vero quarta circiter hora matutina mediocri fluxione bis erat soluta. Mens potissimum sibi constabat; erant tamen rario-
ra temporis interualla, quibus paullo esset remotior. Cubiculi calor satis temperatus deprehendebatur, omnique reliquo morbi tempore ipse aegrotus a nimis calido regimine fuerat alienissimus. Omni cibo abstinuerat ex tribus iam diebus, soloque se refecerat simplicis aquae potu. Praefixus medicus potiunculam ex aquarum millefolii et chamaemeli vncis tribus ad aequales partes, in quibus extracti corticis Peruiani drachmae tres solutae erant. Saporis gratia syrpus capillorum Veneris ad semunciam erat adfusus. Huius potionis vnum cochlear singulis binis horis adsumbit aeger; ceterum sola aqua ad potum potro contentus, cum decoctum hordeaceum auenaceumque maxime fastidiret. Sub vesperam accedens medicus, praeter ex-


B 3

specta-



speculationem, febris satis insignem deprehendit remissionem: quippe aestus erat temperatissimus, paulo mollior cutis, rara praecordiorum anxietas, animus satis sibi constans, imminuta pulsantium arteriarum celeritas, (vix enim in minuto sexages sexies micabant); sed lotii cruditas et summa virium deiectione persistebat. Infecuta nocte prima bene dormiit aeger; media inquietior factus abrupto vsus est somno. Interim sequenti toto die omnia symptomata adeo fuerunt remissa, ut fere omni morbo liberatus videretur aeger. Sed verae cuiusdam criseos defectus mouit medico suspicionem, subesse nescio quid insidiarum in hoc morbo, a quibus facilime opprimi posset aegrotus. Per omnem enim morbi ambitum ne maderat quidem cutis, nec in urina aliquod criseos apparuerat signum: leuissimam vero diarrhoeam, quae bis tantum quarto superuenerat die, vix dixeris criticam. Proinde in praedictae potionis vsu persistere iussus est aegrotus, quo qualiscunque futura crisis in moliminiibus suis adiuuaretur. D. XVIII. Februarii, tribus quatuorue ante meridiem horis, de summo capitis dolore vehementer queri coepit aegrotus, frequenterque, quam biberet, popofcit aquam, licet ceteroquin aestuare nec aliis, nec sibi met ipse videretur. Hora post meridiem altera vero subito leviter inhorruit, accendentibus nouis praecordiorum anxietatibus difficultibusque respirandi: nec dum quarta audita era hora, cum inter remissiora deliria aeger intensissimo exureretur aeflu, sticque fere confectus perpetuo aquam postularet. Hoc die quoque interclusus erat vri-
nae fluxus: ex quinta saltem matutina hora lotii emissum
erat

erat nihil. Inter haec denuo aduenit Praeses, arteriarumque pulsantium celeritatem summe sensit austam; quandoquidem octoginta duo earundem ictus intra minutam horulae particulam numerari poterant. Cutis licet magna esset siccitas, distincte tamen ad aegrotantis lectum odor ex vappido subacidulus, qualis miliarium exanthematum esse solet, percipiebatur. Ad haec tanta aegri erat imbecillitas, ut eidem erigendi se in lecto deesset facultas. Partim igitur ut haec insignis debilitas, quoad eius fieri posset, leuaretur, partim ne aliqua molienti naturae vis inferretur, porro praedicta potio aegroto est data. Undecima circiter hora nocturna primum hoc die perparum mixta aeger: quod lotium in vitro suscepimus adhuc cruditatis indolem habuit. Tertia post medianam noctem hora leniter madescere et emolliri coepit cutis, et licet praecordiorum anxietates non nihil remitterent, nox tamen omnis ad diluculum usque fuit insomnis. Septimo igitur morbi die ad decimam ante meridiem horam adueniens medicus, quantulamcumque febris fentiens remissionem, et foetoris vappidi subacido lique augmentum olfaciens, inspicit collum, pectus, abdomenque, et vniuersam hanc regionem innumerabilibus vesiculis miliaribus pellucidis et albicantibus vidit consperfam. Sudor ceterum deerat; lenissimo autem madore cutis mollescebat. Alius iam ex quatuor diebus strieta. Celeritas arteriarum iam ad sexaginta tres intra minutum ictus erat reducta. Monendi autem hic sunt lectores, cubitali calorem semper fuisse temperatissimum, et ipsam quoque lodiculam admodum tenuem leuemque, immo saepenumero ab inquieto aegroto reiecam. Vespere, eodem



dem die, febris quidem nonnihil increuerat, quippe in minuto arteriae septuagies quater micabant, sed singula reliqua molesta symptomata, praesertim respirandi difficultates, erant remissiora. Vrinae hora post meridiem altera emissae nubeculam in medio vitro fluitantem ostendebant. Miliarium eadem, quae mane fuerat, conditio. Infecuta nocte satis bene dormiit aeger, praeterquam quod interdum subito expersefieret quasi perterritus. D. XX. Februarii magna erat vesicularum elevatio; vrina circa diluculum missa fere cruda, sine nubecula; missa sub meridiem vero nubeculam ad fundum deponebat: alius adhuc segnis. Ceterorum symptomatum summa remissio. Praeter madorem lenissimum cutis, alioquin mollissima, nec hoc die sudabat. Eadem quoque nocte somnus aegro fuit placidus et minime turbulentus. Mane, nono morbi die, ruptis iam plurimis vesiculis, sine omni fere aestu febrili, satis bene valuit aeger, de sola debilitate questus. Versus vesperam perparum citatior factus est arteriarum pulsus, et remittente eodem lenissimus subsecutus est sudor. In lotio vero nubecula sola apparuit, sine omni crassiori sedimento. Inter haec decimo vndecimoque die sensim, deiectis velut squamulis, disparuerunt miliaria, et ex graui hoc morbo aeger lento gradu recollectis vires.


§. IV.

Liceat nunc miram febris, petechiis miliaribusque stipatae, historiam enarraturo rogare lectores, velint ad stupendam illam accuratius attendere symptomatum grauissimorum complicationem, quae sua sponte huic morbo

bo superuenerunt. Generosae stirpis matrona d. H. quadraginta circiter annos nata, sanguinea humorum temperie et mediocri corporis habitu praedita, ceteroquin bene menstruata et inoffensa valetudine viuens, dum per aliquot hebdomades apud amicum quandam commoratur, hic subito maligna febre corruptus supremum obit diem. Illa tam inopinata morte perterrita paucis diebus post maximis capitibus adfligitur doloribus, et velut multo labore delassata vix pedem mouere potest. Metu, ne in alieno domicilio decumberet, per tres priores huius morbi dies lecto se abstinuit, et in solo scimpodio Turcico, quod vulgo *Sophia* dicunt, consuetis vestibus amicta recubuit. Exeunte tertio die manifeste febrire incipit cum insigni cephalalgiae incremento summoque omnium ciborum fastidio. Omni hoc tempore sola aqua pura sitim restinxit, eidemque subinde nitri tantillum adiecit, rata, hoc modo capitibus dolores insigniter mitigatum iri; alias vero medicinas non attigit. Quarti autem huius diei nos aegrotae plurimum fuit calamitosa: quippe continua insomnia, cui et summa cardalgia, et vagus per omnia intestina dolor spasticus, et intercepta per innumerabiles ruftus respiratio comites fuerunt, aegram vehementer excruciauit. Remiserunt haec symptomata mane perparum, sed eorundem locum occupauit ardens velut pungensque vniuersi thoracis dolor, vt et hinc aegrota difficulter et quasi singultim respiraret. Ceterum omni hoc tempore vestes non deposita aegra, et in dicto scimpodio, quod ereta melius respirare sibi videatur, selummodo decubuit. Hic idem aegrotantis status mansit quinto sextoque morbi die. Aluum semel bisue


C

quo-



quotidie deiecit: sed faeces aluinæ paucae fuerunt, durae-
que magis, quam fusae. Ad lotii naturam non attenderat
aegrota. A potu nimis sibi temperauit, quod postremis
his diebus hausta potionē intestina protinus nonnihil in-
doluerant. Sub finem sexti diei subito a novo quasi fe-
bris insultu maxime incaluit aegra redieruntque singula ista
symptomata, quae quarti diei noctem reddiderant info-
mnam. Decumbens ergo in scimpodio isto, et palliolo
leuiter testa, mane in collo et in pectore miliaribus innu-
meris, interiectisque passim subrufi prunique coloris macu-
lis, quasi conspersa conspicitur. Hinc in maximum hor-
rorem perduicti, qui adstabant, veritique, ne ad ipsos
quoque malum serperet, capto prorsus inhumano consilio,
aegram in semipatens pilentum (*halbe Chaiſe*) coniiciunt,
domumque, quae vno millari distabat, mittunt. Erat hic
dies XXVII. Februarii, anni proxime praeterlapsi, quo
graues, frigidi, et ad haec septentrionales flabant venti;
quam coeli regionem versus iter dirigi oportebat. Venit
igitur domum aegra fere examinis, pallida, et horrore
tam febris, quam frigidæ tempestatis tantum non enœcta.
Nec domi statim habuit, quibus refocillaretur, adminicula.
Ancillæ enim, heræ suæ aduentum ne per somnum qui-
dem suspicantes, omnes cubiculi hypococaustique fenestras
iam per plures dies noctesque reliquerant apertas, nec
apparatus erat, quo deponeretur aegra, lectus. Praeter
haec totæ aedes magnæ erant vetustatis: omnia, quo-
cunque circumspexeris, ruinosa, tectum, murus, conti-
gnationes, fenestrae, foresque, vt ybique, quo vellet,
ventus liberrimum haberet perflatum, efficacissime tem-
peraret,


peraret, immo absumeret, calorem cubiculi, a calente fornace effusum. Semianimum heram ergo ministrae in frigidum deponunt lectum, ex superiori tabulato delatum, et hyemali ære interspersaque niue probe vdum. Quo facto demum Praesidem nostrum ilico arcessendum curant, vt, si qua vitae spes supereisset, aegrotantis susciperet curam. Ille media nocte, sub initium octaui morbi diei, accedens aegrotam extremos fere vitae spiritus ducentem comprehendit. Grauior et sonantior animae erat meatus, catarro siccante extinguedis alias familiaris. Non facie solum, sed vniuersi quoque corporis tantus pallor, vt ibidem praecedente die pustularum miliarium farraginem insedisse nemo profecto arbitraretur. Praeter haec oculi concaui, acutus et contractus nasus, auresque laxae et velut pendulae, atque collapsa tempora sistebant medico faciei illius Hippocraticae imaginem, tot tamque innumeris funestis eventibus summe ominosam. Arteriarum pulsus parvus contractusque erat, vt vix tangentis digito percipi posset; quid? quod plures pulsationes adeo exiles erant, vt, nisi maxima in explorando adhiberetur attentio, intermissiones viderentur, quae ob exilitatem explorantis sensu tantum se subducebant. Ceterum plerique i^stus erant celeres frequentesque, plurimum vero inaequales. Cutis leuissime madebat, sed simul subfrigebat. Animus, nullius rei conscius, eo similiorem moribundae reddebat aegrotam. In summe anicipiti hoc statu, cui omnino illaetabile statuendum erat omen, ratus est Praeses noster haud incongruum fore, si, cum omnium remediiorum yfus prorsus superuacaneus aut inanis esset futurus, denuo phosphorus



ri vrinarii vires, frequentiori experimento iam cognitas, in aegrota hac experiretur, exigua licet spe inductus. Exhibuit ergo aquam, quae fescunciae circiter dicti phosphori per longum satis tempus superfusa et agitando insuper plurimis exilissimis eiusdem moleculis impraeognata erat. Cuius aquae datum primo est cochlear minus: quam portionem diu ore detinuit aegra, antequam deglutireret. Facta haec sunt hora circiter quarta matutina. Postquam autem deglutierat aegrota dictam aquam, protinus datum est eiusdem alterum cochlear: quod statim deglutiendo absorpsit. Intra duas igitur horas eadem ratione unam dictae aquae phosphoreae vnciam sensim adsumpsit. Praeter omnem spem exspectationemque animaduersae sunt ad sextam circiter horam aliquae mutationes. Quippe arteriis nouum accedere videbatur robur, minusque exiles atque inaequales, ac ante, earundem erant iactus; faciei quoque suus rediit color, vt iam longe minus Hippocraticam sisteret imaginem. Cutis quidem mador persistebat, sed conuenientior naturae calor frigidulum temperabat sensum. At sonantiores illi atque catarrhosistertores nondum imminuebantur, nec dum redeuntis ad se animi vestigium apparebat. Interea deglutio magis magisque expedita facilisque facta persuasit medico, vt singulis horis ante meridiem duo eiusmodi, quae diximus, cochlearia minora aquae illius phosphoreae exhiberet; quam portionem circa ipsum meridiem tertio cochleari auxit. Numerati eodem tempore arteriarum pulsus fuerunt mediocriter magni, aequales, octoginta nouem in minuto. Altera post meridiem hora iactitare se in lecto coepit aegro-


ta,

ta, ceteroquin nihil loquens, oculisque clausis permanentibus. Cutis mador sensim euanecebat, eiusque locum siccitas subarida occupare incipiebat. Stertor idem. Vrina aliquoties hoc die, inscia aegrotante, effluxit; Iodicularis substratis id testantibus. Quinta demum hora vespertina longe maius incrementum sumvit siccitas arida cutis, adeo ut et haec tactui subaspéra videretur: nec remisit sterter, nisi quod interdum suspiriosa intercederet respiratio. Arteriarum iētus pauciores: quater enim et octogies tantummodo intra minutum micabant. Summant ceteroquin inquietudinem praecordiorumque anxietatem perpetuae aegrotantis in lecto iactationes satis abunde demonstrabant. Atque haec, haud mutatis symptomatibus, perdurarunt ad medianam noctem: quo tempore paullo quietior facta aegrota somno naturali refici visa est, et remissius quoque stertuit. Quarta circiter hore matutina, (erat autem nunc nonus morbi dies,) primum aquam poposcit, non sine insigni ardentiſ ſitis documento per quam auide bibens. Tum quoque cutis leuiflīme madebat arteriaeque septuaginta ſex octouę pulsus in minuto non excedebat. Ea nocte quoque una cum vrina alii parciflīma fluxio letum confiſurauerat, inscia aegra: quippe nec dum mens perfecte ſibi constabat. Ea tota nocte ter tantummodo dieta aquae phosphoreae doſis aegrotæ eſt data. Mane, ilucentiſ iam die, in collo obſeruatus eſt miliarium albiantium reditus: quibus viſis permotus medicus pectoris quoque regionem explorauit, eandemque plurimis veficulis miliaribus, ſparſimque maculis petechialibus ex rufo brunoque nigricantibus deprehendit interpunctam. Circa vnde decimam



decimam ante meridiem horam aliquoties de siti conquesta
aegra aquam bibit, licet ceteroquin nondum cohaerentia
et mentis redditum designantia loqueretur verba. Vrinam
quoque semel matulae imminxit crudam adhuc aquosam-
que, et quarta denum a missione hora leuissimam in fundo
nubeculam ostendentem. Arteriae meridiano tempore
plurimum habebant in pulsando remissionis, molli istu vix
septuages micantes. Hoc die, loco simplicis aquae, in-
terdum quoque aegra sitim decocto panis Sydenhamiano
aut decocto cerasorum acidorum siccatorum restinxit. A-
qua phosphorea singulis ternis tantum horis est data.
Quinta hora vespertina, cum decimus morbi dies immi-
neret, abiit domum Praeses noster, alis officiis auocatus;
sed vsum praedictae aquae phosphoreae dicto modo conti-
nuari iussit. Ceterum, vt eo tempore aegrae erat condi-
tio, spem concepit, fore, vt per grauissimi huius pericu-
losissimique morbi difficultates generosa matrona sit elucta-
tura. Mentis enim magis magisque ad se redeuntis ade-
rant vestigia; aderant summae catarrhos suspirantisque spi-
ritus remissions, temperatissimusque mador ardorem sic-
citatemque cutis infringebat et copiose erumpentium mili-
arium petechiarumque prouentum adiuabat. Sed infe-
cta nocte, pessimo regiminis, quod medici vocant, er-
rore, adstantium incuria admisso, omnia denuo in peius
mutata sunt; quasi, quaecunque aegrotae accidere possent,
in eius pernicient extenuandamque spem coniurarent.
Enarrabo autem, quae sunt facta, singula. Iam octaua ho-
ra yespertina placido somno consopita erat aegrota, tan-
taque vtebatur quiete, vt et reliqui, illius curam haben-
tes,

tes, hinc in somnum inducerentur. Haec dum fiant, nescio qua de causa, inquietior facta aegra superstratam sibi lodiculam prorsus deicit, et per duas circiter horas fere nudam, remoto quoque maxime indusio, in lecto iacet. Quartam demum hora matutina expergesiunt, qui aderant, a stridente rhonchissantis aegrotae spiritu excitati. Quanta tunc exiguo errore spes occiderat! Aegrae idem tunc periculi plenissimus erat status, qui paucis diebus ante iam mortem erat minitatus. Hoc in discrimine medici aduentum denuo vrgent; interea distae aquae phosphoreae cochlear sensim guttatimque instillantes, quod et in deglutitione summa obseruaretur difficultas. Sub meridiem accedens medicus nihil, nisi perfectam faciem Hippocraticam, conspicit, pectusque anxio catarrho ita agitabatur, tanquam bullantia ad ignem pisa audires. Vniuersum corpus rigebat pallebatque, marmoreae statuae instar. Nihil illuc miliarium, petechiarum nihil. Ipsum cubiculum praegelidum erat; quod ministrae, terrore nescio, an incuria? eiusdem calefaciendi officium intermiserant. Proinde, moderato calore temperari cubiculum iubens, simul exhibuit medicus potiunculam ex aequali oxymelitis scillitici et praediatae aquae phosphoreae parte mixtam, eiusque minimum cochlear, prout pedetentim resorptum erat, aliquoties dedit. Hac ratione a prima post meridiem hora ad quartam aegrota forbillando adsumpsit nouem cochlearia, sine conspicua tamen status sui mutatione. Sola arteriarum pulsatio, quae antea omnem explorationem effugiebat, quasi redire ad tactum videbatur. Exeunte autem quarta hora vomitum moliri coepit aegra, et subinde inter grauissi-




grauissimos rhonchos tussire; donec tandem conuulsio
quasi motu, inter suffocationis pericula, insignem tenacissi-
mum muci vim, tussiendo et vomendo reiecit. Quo factō
paullo eidēntior factus arteriarum pulsantium motibus et
ostagies in minuto est obseruatus. Sub isto autem vehe-
menti vomitu tussique exierant simul alio vesicaque con-
tentā. Post haec iacuit quīeta aegrotans ad septimā us-
que horam, imminuto quoque nonnihil stertore. Interea
tria tantummodo purae aquae phosphoreae accepit for-
pītque cochlearia. Mox a septima hac hora iterum,
leuiori conatu, mucosam eiecit colluuiem, non sine insigni
stertoris decremento subsecuto. Quae dum sūnt, eu-
nuit sensim faciei pallor, et rigidula membra pedetentim
incaluerunt. Atque hic calor ad duodecimam vsque ho-
ram nocturnam ita magis magisque est austus, vt et cutim
quasi siccaret exureretque. Mens interim adhuc erat aliena,
vt et lectum aliquoties permingeret aegra: oblata
tamen aquam puram auide et minus difficulter haust. Per
quinque has horas bis tantum duo cochlearia minorā phos-
phoreae aquae sunt data. A media vndecimi huius diei
nocte paululum remisit austus, et arteriae ad septuaginta
trium istūtum numerum intra minutum redierunt. Ster-
tor quoque erat mediocris. Mane sub diluculum perad-
modum lenis mādor cutem emolliit, et simul redeuntibus
miliaribus, petechiasque viam paravit. Haec enim exan-
themata tanto numero antemeridianis his horis denuo pro-
ruperunt, vt vniuersum collum, pectus, abdomenque ra-
dulæ redderent simillimum. Hora decima primum noua
redeuntis ad se animi specimina dedit aegrota; cum de pe-
ctoris

storis dolore conquereretur, simulque filiae suae natu maxime manum porrigeret. Insequenti quoque hora matutinam poposcit, sciensque emisit vrinam. Nec stertor supererat, nisi in dormiente leuissimus et vix audiendus. Emisa illa et in vitro seposita vrina cruditate nondum carebat. Pulsationes arteriosae intra minutum raro septuagesimum ictum attingebant. Hacc morbi conditio prorsus eadem erat ad sextam vsque horam vespertinam: hoc vero tempore denuo nonnihil incrementi cepit febrilis aestus, austro ad octoginta circiter ictus arteriarum motu, persistente tamen leni cutis madore. Stertor quoque non, nisi in dormiente aegra, isque perexiguus, occurrebat. Ex eo tempore rarius datum est phosphoreum medicamentum, singularis nimirum senis horis ad duo cochlearia minora; interpositum autem tenue corticis Peruuiani decoctum, quolibet bihorio nempe ad duas vncias. Ea nocte bene placi-deque dormiit aegra, rarius euigilans protinusque iterum obdormiens: bis quoque minxit, bene sui conscia. Misum media nocte lotium crudum, tenui, aquosum; sexta sub diluculum hora, nonnihil turbidum et post aliquot horas paucu sedimento mucoso conspicuum. Exanthemata miliaria, mane conspecta, non videbantur copiosiora; patechialia autem, praesertim in pestore, prioris diei numerum mirifice superabant. Arteriae denuo vix in minuta horae particula septuagies micabant. Lenis quoque iste mador non remisit. Eo die, qui erat duodecimus, ceterum satis belle se habuit aegra, rationis perfecte compos; quippe plura cum liberis suis de varia re domestica locuta est, vt et medicus monitis haberet opus, ne nimia

D

con-




confabulatione sanguinis orgasmos concitaret. Ob modicam fistam raro, immo non, nisi monita, aquam bibit. Sed omnis cibi maxima adhuc aderat aueratio. Moderatus ille mador, sine largiori sudore, per totum diem semper idem: eaedemque etiam fere arteriarum pulsationes. Sub vesperam nonnihil quidem increbuerunt iactus, sed reliquorum symptomatum nulla fuit mutatio. Nox quieta, iucundissimoque somno aegrotam reficiens. Decimo tertio hoc morbi die sat magna miliarium pustularum copia rumpi siccarique coepit, et ipsae quoque petechiales maculae intensiorem brunum nigricantemque colorem sensim deposuerunt, et magna ex parte penitus euanuerunt. Vrina hoc die aliquoties missa semper mucosum depositum sedimentum. Noctis infecutae, quae prioris, conditio: versus matutinum vero diluculum paululum insudauerat aegra. Nec diei huius decimi quarti alias, quam praecedentis, fuit status. Tum vero cutis, omnibus maculis petechialibus iterum libera, paucissimas pustulas miliares adhuc superstites habebat, quae non essent disruptae atque squarrosae. At decimo quinto die, cum omnia proxime conualitaram aegrotam ominarentur, subito molestiae quedam odiosaeque litterae, imprudenter aegrotanti oblatae, eiusdem animum tanta adfecerunt sollicitudine, vt protinus vehementi asthmate spasmatico spiritus fere intercluderetur, simulque aliqua nondum disruptarum vesicularum miliarium pars sine ruptione euanesceret. Quid? quod huius sollicitudinis tanta fuit in animum aegrotae vis atque efficacitas, vt ipsa ea nocte vniuersa insigniter deliraret et insomnis in lecto iactaretur. Sed remiserunt posterio die

grauia

grauius haec symptomata, apparuerunt iterum nonnullae
pustulae, remiserunt exagitati arteriarum motus, tandem
que sine nouorum symptomatum accessione crassum, gra-
ue, subrubicundumque vrinae sedimentum exeunte deci-
mo octavo die successit, et aegra sensim, perfecte tamen,
ex adeo truculento morbo sanitati est restituta.

§. V.

Lubentissime hic adicerem aliquod eiusdem fere
generis, eiusdem temperatissimae medendi methodi, eius-
demque eventus, miliarium petechiarumque historias, a
Praeside nostro Halae Helmstadiisque obseruatas, mecum-
que communicatas: nisi vererer, ne extra fines terminos-
que huiusmodi commentariolorum academicorum egressu-
rus, mihius ipse ea, quae sequenti capite pertractanda
supersunt, disputandi opportunitatem sim praerepturus.
Haec saltem ex iis, quae ad manus sunt, obseruatis adno-
tasse sufficiat, nonnulla in his exstare exempla, quae folu-
tas a miliarium petechiarumque prouentu febres acutas de-
clarant; plura vero, in quibus aut incongruum nimisque
calidum aegrotantis regimen, aut varii quoque medentium
errores eiusmodi exanthemata, in plerorumque aegroto-
rum detrimentum, velut prolestarunt. Verum enim ve-
ro cum haec quotidiani fere sint exempli, eorum enarratio-
ne nolumus morari lectors.



CAPVT ALTERVM
AD
CONTROVERSVM EXANTHEMATVM ACVTO-
RVM ORTVM SPECTANS.

§. VI.

Bene sapienterque iam pridem, antequam miliares pustulae inter medicos innotuerant, solaeque petechiae cum aliis maligni generis febris humanum genus adfligebant, de petechiis monuit *a)* NICOLAVS BOCCANGELINVS, illustris suae aetatis medicus Caesareusque inter Hispanos Archiater, quod macularum expulsio, ex quacunque causa contigerit, fieri possit vno e tribus modis: aut critice, quod sit, cum robusta est facultas, et humor tali praeditus natura, ut illius beneficium suscipere possit; aut mere symptomatico; aut quod medium teneant inter haec extrema. Eandem sententiam de miliaribus quoque recentissimorum medicorum plures tulerunt: quos nunc attingere non vacat. Ex his vero illustris ANTONIVS de HAEN, ultra progressus, primo adserens, miliaria et petechialia exanthemata frequentius praeposterae artis esse opus, rarius naturae medicatrixis, dein prorsus nuperrime negavit, eadem vñquam esse critica, sed semper inopportuna medicatione aut incongruo regimine producta *b)*. Acerri-

mas

a) In rarissimo *de febris morbisque malignis libro*, Madriti anno
clo 1500. emisso; pag. 222.

b) Quos ad manus habui, illustris huius viri sequentes sunt libri:
Rationis medendi in Nosocomio práctico Partes XI. Vindobonae anno

mas haec sententia plurium medicorum efficit reclamatio-
nes, neque dum controuersia haec ita est transacta, vt
nulla amplius huius rei dubitatio super sit c). Hoc igitur
in praesenti instituemus, vt collatis ex vtraque parte dispu-
tantium argumentis, sine omni partium studio, nullaque
auctoritate occoecati, ea ex morborum a nobis enarratorum
historiis (§. II.-V.) feligamus phaenomena, quae in tam dif-
fici captiosaque quaestione aliquod veritati stipendum fa-
cere possunt.


S. VII.

Huius autem controuersiae transactio cum in eo
potissimum versetur, vt, quid *criticum*, quid *symptoma-*
ticum

D 3

c10ccclvii-c10ccclxvi, et *Thebes fissentes febrium diui-*
siones etc. ibid. c10ccclx.

- c) Quos, praeter Haenianos istos commentarios attente euoluimus,
scriptores sunt sequentes: ANTONII STOERCK annus medicus
I, et II. Vidobonae, c10ccclx, et c10ccclxi, IOANN.
GEORG. HASENOEHR. *Historia medica morbi epidemicis sive febris*
pettechialis; ibid. c10ccclx. CHRIST. MOLINARII *de miliar-*
rum exanthematum indole et tractatione disquisitio; ibid. c10ccclxiv.
MATTHAEI COLLIN *dissertatio medica de miliaribus;* ibid.
c10ccclxiii. Eiusd, ad Ernestum Godofredum Baldingerum episo-
la etc. ibid. c10ccclxiv. Inuiti caruimus *Alethopbilorum Vi-*
einenstum elucidatione epistolaes de cicuta; ibid. c10ccclxvi.
Lettre de Mr. CRANZ a Mr. Tiffot au sujet de sa dispute avec Mr.
de Haen; ibid. c10ccclxiii, et Lettre de Mr. COLLIN a Mr.
de Haen au sujet des Maladies avec eruption; ibid. eodem anno.
Porro huius argumenti cauilla considerate legimus e. c. BAL-
DINGERS *Abhandlung von den Krankheiten einer Armee;* Longo-
falissae, c10ccclxv. DONALD MONRO's *Beschreibung der*
Krankheiten in den britischen Feldlazaretten; Altenb, c10ccclxvi.
et IO. BERNH. de FISCHER *Tractatuum de febre miliari, purpura*
alba dicta; Rigae, c10ccclxvii, aliasque plures.



ticum dicatur, definita notione inter disceptantes constet, ne ad inanem verbuelitationem omnis lis redeat: instituti omnino interest nostri, utriusque vocis exactam hic praemittere definitionem, eamque in primis Hippocraticam; quod illustres illos viros, qui nunc maxime contentionibus se inuicem laceſſunt, summi huius viri auctoritate nisi videmus. Tametsi vero apud ipsum Hippocratem, Galenum, ceterosque veteres scriptores medicos varia omnino multiplexque vocis criseos est significatio d): videtur tamen, si quid recte iudicamus, ea nostro tempore potissimum vsu recepta, quae *subitaneam morbi cuiusdam acuti solutionem, statu quasi tempore vi vitae productam e*), declarat. Vnde porro facile liquet, *criticum* dici, quodcumque in corpore humano a vi *vita*, soluendi cuiusdam morbi acuti cauſa, mutatur. Hinc etiam facile apparet, has ipsas mutationes, quae naturae sive vi vitae debentur, prout materiae morbosae remotionem vel moliuntur, vel vere praeparant, vel perficiunt, rectissime vocari perturbationes *criticas*, symptomata critica, euacuationes criticae f).

Statis

- d) Qui exactiorem varii huius significatus expositionem perlegere cupit, euoluat ſummi quondam viri, IO. ERNESTI HEBENSTRÆIT *Exegetis nominum graecorum, quae morbos definitiunt;* pag. 274. seq. Lipliae, clocccli. ANVTII FORSI *Oeconomiam Hippocraticam*, pag. 217. Geneuae, clocclxvi. IO. GORRAEI *Definitiones medicas*, pag. 247. Francofurti ad Moenum cloccxxviii. PROSPERI ALPINI *de praefagienda vita et morte aegrotantium* Lib. VII. pag. 384. seq. Hamburgi cloccxxxxiv. aliosque plures scriptores semiologos.
- e) Confer ipsum **HIPPOTRATUM** diuersis locis Praeceptorum et Prognosticorum: quocum jungi possunt scriptores modo allegati.
- f) Legi meretur ſuper haec magnus ille HERMANNVS BOERHAA.



Statis vero illis temporibus, quibus dictae mutationes plerumque a vi vitae produci solent, solempne *criticorum diem* nomen est; de quorum statu diversaque serie, per ipsam naturam interdum mutata, nunc quidem non disputabimus, quod eandem materiem a grauissimis perspicacissimisque auctoribus iam pertractatam nouimus g).

§. VIII.


Verum enim vero quotidiano comprobatur experientio, varium omnino huius actionis, a vi vitae, morbi acuti solutionem moliente, productae, esse euentum. Scilicet haec naturae vis aut consequendo suo fini sufficit, aut deprehenditur impar. Si sufficerit, aut perfecte praefixus obtinetur finis, aut ex parte tantum: ex hoc oritur nouus morbus, priori minor leuiorque; ex isto vero convalescentia perfecta. Vtraque ratione facta solutio haud incommodè *crisis bona* appellatur. Contra ea *malam* dixeris *crisin*, quando depellendo morbo imparem se sentiat vita vis. Tunc autem morbi magnitudini aut ex parte tantum, aut penitus succumbit natura: ynde hinc morte, illinc autem peiori periculosiorique morbo praefens terminatur morbus h). Praeter haec quoque attenta obseruatione edosti sunt medici, triplici modo efficacem hanc

vitiae

ve in *Institut. medic.* §. 931. seq. et in *Praelectionibus academicis* Tom. VI. p. 296. seq. edit. Haller.

g) Solum magni nominis virum, ANTONIVM de HAEN, hic excitasse sufficiat in *Ration. medendi* citat, Part. I. Cap. IV. et Part. VIII. Cap. II.

b) Collegi has notiones ex semioticis *HIPPOCRATIS* libris passim, et cum iis contul, quae BOERHAAVE loc. cit. et *Institutionum*, et *Praelectionum*, hac de re differuit.



vitae vim in subigenda morbi materie vti, nempe resolutio siue adsimilatorio, (vt vulgo dicitur,); eccentrico et metastatico. *Adsimilationem* obtinet naturae vis, si materiam noxiast ita coquit, mutat, perueritque, vt salubri euadat simillima, nec in corpore retenta amplius noceat. *Eccrisis* porro est effusio materiae morbosae extra corpus, a vi vitae effecta. Tandem si ex uno corporis loco in alium vis vitalis materiam morbificam depellit, oritur *metastasis* i).

§. IX.

Symptomatis vocabulo (§. V.) itidem variae in alienum apud antiquos rei medicae scriptores deprehenduntur migrationes; constantior autem, et quae nunc est in honore, significatio ea est, qua quaelibet status naturalis in corpore nostro manifesta laesio, a morbo quodam eiusue causa effecta, ab his tamen ipsis facile discernenda, *Symptomatis* nomine comprehendi solet k). Triplex autem horum genus, symptomatum nimirum morbi, *causae*, et *symptomatis*, ex diuersa origine oriundum; quod omnes pathologi luculenter exponunt, hic, paginarum angustiae inferuientes, non tangemus. Enim vero cum in acutis morbis vis vitae, dum mouet, separat, impellitque materiam morbosam, etiam manifestas status naturalis mutationes edat, ob morbum quidem, sed non ex morbo eiusque causa ex-

i) Praeter citatos scriptores hoc quoque refer THOMAE FIENI *Semioticen* Part. I. Sect. VI. pag. 125. seqq. Lugduni, 1710. CXXIII.

k) Confer auctores, annotatione f) allegatos, ad vocem: *Symptoma*; porro BOERHAAVE libr. cit. §. 80t. et seqq. et eximii M. D. GAVBII *Institutiones pathologiae medicinalis*; §. 81, seqq.

sa excitatae (§.VII.), et has quoque *symptomata* dixerunt medici, *criticorum* nomine adiecto; ut haec ab ipsis simplicibus et morbois probe discernerentur¹⁾). Ad haec vero superueniunt quoque morbis nonnunquam varia fortuita, nec ex morbo, nec ex auxiliatrice vitae vi, sed ex viribus rerum, quas casus corpori nostro obtulit, nata: quas mutationes interdum quoque *symptomata*, rectius *accidentalia*, *ἐπιγενόμενα*, dicunt *m*). Ex his igitur de symptomatis notione disputatis facile nunc intellecturos existimamus letores, quidnam *symptomaticum* dici mereatur, et quotupli significatu idem nomen phænomeno cuidam, in corpore nostro euenienti, applicari possit.

§. X.

Cum vero qualescunque istae, corpori humano accidentes, mutationes manifesta sint quaedam phænomena, quibus a se inuicem distingui possunt, prudens atque circumspetus medicus iisdem vtitur, ut signis, quibus vera eorum indoles, quæ in morbis obseruantur, definitur. BOERHAAVIO nemo melius, accuratius, neruosiusque singula haec signa, ex veterum recentiorumque obseruationibus collecta, congesit: ut adeo temperare nobis non possimus, quin summi huius viri, optimi harum rerum arbitri, verbis vtamur. *Criticam* (§.VII.) suis symptomatisbus (§.IX.) aequa, ac symptomaticum (§.VIII.) suis (§.IX.), tanquam signis, declaratur. Proinde ait BOER-


E

HAAVE

1) Vid. BOERHAAVE libr. cit. §. 934. seqq. et GAVBIUS libr. alle-

gat. §. 98. seqq.

m) Conferantur iudicem auctores: prior, §. 801; posterior, §. 106. seqq.



H A A V E n): Signa, quibus internoscuntur critica symptoma-
ta a morbois sunt primaria haec: *primo symptomata*
illa oriuntur a vi vitae superante vim morbi, haec autem
a vi morbi praeualente ipsi facultati vitali; *tum* illa fiunt
praegressa coctione suis signis manifesta et bona reperta,
haec in cruditate comperta; *porro* illa fiunt circa tempus
proprium crisi, haec omni morbi tempore, maxime in au-
gmento; *denique* illa breui leuant, haec cito nocent. Pri-
maria autem *symptomata critica* et signa sunt haec, quae
crisis evacuantem praecedunt: post coctionem, tempore
critico, subito, sine noua manifesta morbi caufa, oriens
stupor, somnolentia, sopor, vigiliae, delirium, anxietas,
dyspnoea, nox molesta; rigor; dolor, rubor, titillatio,
punctura, grauitas, densitas in parte; tenebrae, splendor,
lux, lacrymae spontaneae, in oculis; nausea; aestus;
fritis; retroactio hypochondriorum, tremula agitati labii in-
ferioris. *Euacuationis criticae* praesentis signa habentur,
et producta sunt: si, post animaduersa prius, deinde con-
spicitur vomitus; saliuatio; muci excretio; exscreatio
sputorum; alui fluor; vrina; haemorrhagia ex naribus,
vtero, haemorrhoidibus; sudor; abscessus; pustulae; tu-
mores; bubo; parotis; aphthae; humorum ex loco in
locum translacio. Cognoscuntur haec critica salubria, nec
per artis sollicitudinem turbanda esse, si praegressa fuerint
iam dicta: coctio praegressa; morbi status; vis vitae bona;
excrementa similia naturalibus; conuenientia morbo, parti
adfectae, vitae, vieti, aetati, sexui; temperiei, tempus, locus;
leuamen post haec tam quoad morbum, quam quoad sym-
ptomata;

n) In *Institutionibus medicis*, §. 936, seqq.


ptomata; color, calor, robur, pulsus, respiratio, actiones omnes, statim restituta, vel incipientia multum restitui; tum constantia criticae euacuationis usque ad finem morbi: si enim omnia haec, vel pleraque, signa adsunt, tum perfecte erit separatio morbos a sano; diciturque crisis perfecta euacuans vel separans. Si autem illa signa absunt, aut horum contraria euentiant, tum apparet, haec esse *symptomata morbi*, non autem vitae triumphantis; adeoque tunc mala sunt atque curanda, ut morbi ipsi; si vero omnia haec non adsint, sed tantum quaedam, eaque nec perfecta, tum cognoscitur materiem male criticam, vagam, huc illucue ferendam, parituram varia phaenomena, quae crisis *metastatica* appellatur.

§. XI.

Accedemus nunc ad ea, quorum gratia haec omnia haetenus sunt disputata, singulasque morborum historias, quas priori capite luculenter recensuimus, comparabimus cum iis, quae nunc de crisi et symptomate, tam morboso, quam fortuito et accidental, a nobis sunt peracta: ut saltim aliquo exemplorum apparatu liquido constet, vtrum exanthemata miliaria atque petechialia semper sint symptomatica, siue naturalem ex morbo ortum spectes, siue malam artis sollicitudinem aut inopportunum rerum non naturalium usum; an interdum ipsa natura horum prouentu bonam optabilemque crisi molietur? Sigillatim ergo ea tangemus signa critica, quae paullo ante (§ X.) ex B O E R H A A V I O definiuimus: memores tamen simul esse iubemus lectors quotidianae illius medicorum experientiae atque

E 2

obser-



obseruationis, in eodem morbo acuto singula illa signa simul nec adesse, nec adesse oportere, si modo plurima non desint. Haec autem signa erant: *primo* crisi antecedentia in *aegroto primo* (§. II.) die IV. morbi indicatorio delirium, nausea, aestus, sitis; die VII. critico sub initium ardentissimus aestus, sitis intensa, vrinae parum, infania magna; diebus insecuris intercalaribus et vacuis nox molesta, vigiliae, dyspnoea, anxietates; mox post XL. diem indicatorium leuior ad speciem remissio, alius semel soluta, nausea persistens; sub initium intercalariis diei XIII. omnia priora symptomata, dein delirium, inquietudo, siccus aestus, nox molestissima, arteriarum pulsatio summa, frequens et subinde tremula. *Tum* die XIV. critico *pustulae* exanthematicae apparentes, dein mador, et alii solutio. Hinc statim magna morbi symptomatumque remissio, tam manifesta, quam constans, et, licet parum critici in vrina deprehenderetur, nec largus sudor aut alia critica euacuatio superueniret, siccatis exanthematis sanitatis reparatio. Quanam igitur crisi, si exanthemata haec reieceris, solutum hunc dices morbum? In *altero aegroto* (§. II.) die IV. delirium, intensusque aestus, dyspnoea, cardialgia, nausea, alius bis soluta. Reliquis diebus aliqua symptomatum remissio. Accidente demum VII. die subito leuis horror, dyspnoea, anxietas, delirium, aestus, sitis; nocte eadem vrinae parum, lenis cutis mador, tandemque innumerabilia *miliaria*. Et in hoc aegroto statim maxima et constans omnium symptomatum remissio, sine omni perfecta in lotio crisi; et sic tandem et hic aegrotus sanitatem recuperavit, cum praeter exanthemata nihil perse.


æ



Ete critici ceteroquin esset animaduersum. In *aegrota ter-
tia* (§.IV.) varia quidem fontici morbi multiplexque fuit
conuersio, non a caloris, sed a frigidi regiminis excessu
profecto orta: interim, pleraque illa symptomata, quae
supra locupletissime enarrauimus, si intuitu eius, quod ve-
re criticum est (§.VII.), examinentur, intellectu est facil-
limum, non prius illaetabiles illos pessimorum phaenome-
norum recursus perfecte cessauisse, quam perfecta et suffi-
ciens miliarium petechiarumque eruptio contigisset. Ne
autem angutarum harum paginarum limites transgredia-
mus, ipsorum symptomatum, in *aegrota* hac obseruato-
rum, comparationem cum criticis illis signis (§.X.) institu-
endam lectoribus relinquimus.

§. XII.


Quod autem symptomatica huius generis exanthe-
mata, tam ipsius maligni morbi, quam peruersae artis in-
congruique regiminis conseptaria, longe peruulgatoris
frequentiorisque sint exempli, quam critica morbumque
fausto omne soluentia miliaria aut petechiae, is profecto
facile et intelligenter perspiciet, quicunque ea, quae ha-
bitenus sunt disputata, ad quotidianas illas confert obser-
vationes, que cuilibet fere medico, suam facienti artem,
abunde satis offerri solent. Quid? quod et hoc haud te-
mere adfirmare audemus, saepenumero fieri, vt in eius-
modi acuto morbo, qui alias sine exanthemate solueretur,
erumpens exanthema, ex tacito et medicis forte non in-
dicato errore diaetetico profectum, pathologo clinico im-
ponere, criticumque videri possit, si tam efficax medica-
tricis



tricis naturae vis supereft, vt protinus male motam peruersamque materiem, coniuncta euacuationum criticarum ope, immutet, et, quā data est via, ex humorum massa expellat. Interim vero haec omnia, vti iam in praefatione monuimus, coniunctis collatisque plurimorum medicorum selectis accurateque consignatis obſeruationibus tandem aliquando ad liquidum explorata et extra omnem controuersiam posita forent, niſi ſumma illa patriae noſtræ ingenia, et ſalutari doctrina, et incredibili exemplorum varietate et copia, et optima tentaminum inſtituendorum opportunitate inſtructissima, tumultuoflo et minaci, non dicam contentionum, ſed veriſime contumeliarum conuiitorumque genere ſemet inuicem laceſſerent, illudque potiſſimum nunc agerent, vt, ſepoſta veritatis eruendae cupiditate, amariffime congeſtis probris atque ludibriis aliorum lacerent exiſtimationem. Quae ornatiſſimorum animorum viſcera nunc adeo longe lateque ſerpunt, vt, de alio magnorum virorum genere locutus plurimum venerandus vir, academiaeque huius ornamentum, GVLIELMVS CRICHTON, exclamet o); Quae erit de ſeculo nostropoſterorum opinio, quim commentarios noſtrios iniquis adeo maculis dedecoratos viderint?



o) In epiftola ad Illuſtre Christianum Adolphum Klozium, nouo Lexico latino praemissa,




PITSCHIO SVO

S. D. P.

P R A E S E S.

Aliquid ad TE daturus litterarum, voluntatem erga
te meam testaturarum, facere non potui, quin memo
riam simul renouarem iucundissimi illius temporis, quo,
dum Halae in confessu optimorum iuuenum salutaris ar
tis disciplinam profitebar, fratrem quoque TVVM natu
maiores inter alios, discendi ardore flagrantissimos, au
ditorem habui, nemini commilitonum suorum, et morum
honestate, et scientiae conquirendae cupiditate secundum.
Verum enim vero eruditissimi huius viri praematurum
fatum iis uberrimis emolumentis, quae ab ipso merito
exspectari poterant, patriam priuauit, doloremque im
prestit OPTIMO PARENTI nunquam exflinguendum,
nisi in TE, mi PITSCHE, et PARENS, et patria il
lud praeuidisset, quo reparandi damni spes esset erecta.
Quam etiam spem ita locupletissime expleuisti, ut nunc,
maximo eruditionis medicae apparatu, et Berolini, et
hic collecto, auctus in patriam, meritorum TVORVM
praemia




*praemia offerentem, sis redditurus. Illud autem TE
vehementer rogo obtestorque, gratam mei, quippe homi-
nis TVI amantissimi, memoriam nunquam deponere, et
in posterum quoque quaelibet officiorum genera a me ex-
spectare velis. Vale. Dab. in Regia Viadrina,*

Pridie Calendar. Aprilis,

cllccclxix.





CONTROVERSIAS
DE
EXANTHEMATVM
ACVTORVM
ORTV
NVPER MOTAS

PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
MED. ET PHILOS. DOCT. MED. THEOR. ANAT. BOTAN. ET PHARMAC.
PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECT.
MOG. ERFVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIET.
DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H.T. DECANO,
D. APRILIS, CICLOCCCLXIX.
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM
LEGITIME CAPESSVRVS
EXPENDIT
AVCTOR
IACOBVS HENRICVS PITSCHE,
SAGANO - SILESIUS.



FRANCOFVRTI ad VIADRVM
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

